

sic hos ignavia ad famam protulit. Nec dubium est, quin eadem
in eosdem quadret sententia, quam quondam tulit Nero apud
Tacitum lib. 16. Annal. cap. 23. in Thraseam Patum & Baram So-
ranum, eò quòd Consulatum & Sacerdotia adepti, posthabitis iis,
hortorum amoenitati inservirent.

§. IX.

Sed ne diutius, quàm par est, extra horti nostri oleas vage-
mur, qui Salomonis hortos magnificentissimè instructos fuisse
negaverit, vix erit: Ipse enim, plantavi in iis, inquit: עץ כל - פרי
lignum omnis generis fructus, adeoque non illas tantum arbores,
quarum in terra sancta non exigua erat copia, sed exoticas quoque,
& quas alebant terræ remotissimæ. Quo verò ipse ordine usus
fuerit, non addit, nullum tamen est dubium, quin certis inter-
vallis distinxerit arbores, & quincunce, qui *Quintiliano* placet in-
primis, aut meliori, si quisquam detur, in ordinem redegerit o-
mnes. Procul dubio non deerant horto instructissimo herbæ pe-
regrinæ, plantisque & floribus instructus erat uberrimè: Areolæ,
labyrinthi, opera topiaria florum ac fructuum varietate nitentia
ita distinguebant singula, ut si cum hodiernis conferres, sumtuo-
sitate *Hippolyti Arestini* Ferrariensis Cardinalis hortos, qui sum-
tuosissimi in Italia dicuntur, amœnitate verò viridaria castri *Solis*
Monileheri, quæ *Champ. de loup* vocant, & amœnissima in Gallijs
credunt, aut æquarent aut superarent. Rei fidem facit, quod nun-
quam in exornando ditissimo deesset pecunia, nec sapientia in-
ponendis ordinibus sapientissimo. Habebat enim ille tam exa-
ctam stirpium & plantarum cognitionem, ut vastissimas arbo-
res & humilimas plantas æque *αξιόθετος* arbitratus fuerit, ea-
rumque historiã & facultates, quibus quilibet affectus sanari queat
à cedro Libani ad hyssopum usq;, quæ ex pariete emerferit, peculi-
aribus descripserit libellis, quos in templi Hierosolymitani vestibulo
diu asservatos, si vera sunt, quæ traduntur ab Historicis, Ezechias,
Rex sustulit, cū videret, ad istos ceu ad Numen ægrotos confugere,
& magis ab his quàm à DEO morborum suorum curationē petere.
Ne verò divitias cum aliis communes possideret, quod melior
Magna.